

95. *Bene tamen, quantum ad effectum missionis in bona ejus, quæ ibidem habet, nisi comparuerit.* — Altera pars in cit. § *Contrahentes*, sub hac distinctione resolvitur. Quia contrahens reus, sive ab altera parte conventus, aut habet bona in territorio illius judicis, puta episcopi, ubi contraxit: et tunc iudex, seu episcopus ille, potest ipsum citare (sive verbaliter, sive, quando latet, per edictum) sub comminatione, ut nisi comparuerit ad respondendum, aut aliunde parti læsæ satisfecerit, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterit, fiat missio in possessionem honorum, quæ ibidem habet. Et tunc, si citatus comparere contemnat, potest is quantum ad istum effectum (non autem quoad priorem, ac n. præced. relatum) declarari contumax: sicque actor, seu adversarius ejus, mitti in possessionem honorum, quæ contumax ille ibidem habet, ut tædio affectus tempestive veniat responsurus, cit. § *Contrahentes*, et cap. ult. § *In aliis*. « Ut lite non contestata, » etc.

96. *Quid, si reus contrahens, non habet bona in territorio judicis contractus; bene tamen alibi?* — Aut contrahens reus, seu ab altera parte conveniens, non habet bona in territorio judicis, seu episcopi, ubi contraxit, habet tamen ea alibi: et tunc etiam reus potest a dicto iudice citari, quantum ad effectum missionis faciendæ in bona ejus alibi existentia, nisi comparuerit, vel alias satisfecerit: ita tamen, ut dictus iudex contractus (si citatus fuerit contumax, aut forte malitiose sese occultet, quo minus citatio ad ipsum perveniat) solum possit decernere missionem faciendam in possessionem honorum illorum, quæ reus contumax in alio loco noscitur obtinere: actualem vero missionem non ipse, sed ad ejus denuntiationem iudex ille, in cujus territorio dicta bona existunt, facere debeat. Patet hoc totum ex sæpe cit. § *Contrahentes*, et amplius declarat Glossa ibid. Speculator tit. *De primo decreto*, § *Nunc videamus*, n. 2. Abbas d. cap. ult. n. 36, h. t., et favent in simili dicta superius, § 3, n. 48 et seqq.

97. *In contractibus, regulariter non habet locum remissio.* — Unde infertur, quod in contractibus regulariter loquendo non habeat locum remissio, vi cujus reus conventus remittatur ad iudicem contractus, sicut accidit in delictis: habetur enim ibi alius modus procedendi, ut patet ex præmissis. Abbas loc. cit. n. 37. Jason in l. *Si convenerit*, n. 39,

ff. *de Judiciis*. Quamquam hec ipsum quædam patiatur limitationes, ac præsertim in casu reddendæ rationis de administratione, quam quis alicubi gessit: talis enim debet remitti ad locum, ubi gessit, arg. l. I. *Ubi de criminib. agi oportet*. Abbas cit. n. 37, ponens alias limitationes. Idemque dicendum, si quis specialiter renuntiaverit privilegio alterius loci: nam etiam talis est remittendus, juxta Glossam in l. I; §. *Pro non dato*. ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. ac tradit Jason, ubi supra, n. 40, citans alios.

98. *Certum est, quod ratione rei, de qua contenditur quis sortiatur forum.* — Quæritur III. An, et quando quis dicatur sorti forum ratione rei alicubi sitæ? Resp. I. Certum est, quod ratione rei, de qua contenditur, quis sortiatur forum, adeo, ut coram illo iudice, in cujus territorio res religiosa existit, vel illius possessio habetur, possit quis conveniri. Textus est in cap. ult. h. t., ubi Pontifex inter alia inquit: quod etiam « ratione rei, de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortiatur. » Concordat c. *Sane*. 3, h. t. et l. I, cum seqq. C. *Ubi in rem actio*, etc.

99. *Sive res illa sit immobilis, sive mobilis.* — Resp. II. Data conclusio procedit, sive res sit immobilis, sive mobilis. Ita Glossa in cit. cap. ult. §. *Contra possessorem*, et Fagnanus ibid. n. 20, h. t. Hostiensis in *Summa*, h. t., n. 5. Innocentius, et alii. Idque desumitur ex l. ult. C. *Ubi in rem actio*, etc., ubi indistincte dicitur, quod reus possit conveniri in loco, in quo res litigiosa constituta est. Id ipsum clarius, et quidem sub expressa mentione rei mobilis (de qua posset nonnulla moveri dubitatio) habetur l. *Quod legatur*. § *Si autem*. ff. h. t.

100. *Dummodo sit permansura in loco.* — Fatendum tamen, quod Abbas cit. cap. ult. n. 23, et Jo. Andreas ibid. n. 12, h. t. cum aliis, istud intelligendum asserant de tali re mobili, quæ est permansura in loco: secus, si res ejusmodi ibidem existat causa custodiæ, vel sit solum transitoria, sive in transitu; ut quia Titius transit per hanc civitatem cum equo, quem ego dico esse meum. Tunc enim non possum ego Titium convenire in hac civitate, l. *Hæres præsens*. § *Proinde*. ff. *de Judiciis*: simulque, quia Titius non videtur esse in hoc loco, cum sit in transitu, arg. Clem. *Ne Romani*. § *Sane*. cum *de Electione*. et c. *Nam et ego de Verb. signif.*, ac præter proxime citatos notat Speculator tit. *de*

*Competentis judicis aditione*, § 1, num. 17.

101. *Quid, si res mobilis alicubi sit in transitu?* — Quo tamen non obstante quando res alicubi est in transitu, et advena illuc transiens nolit eam repetenti reddere, tunc advena ille potest cogi ad satisfaciendum de stando juri in loco judicii: alioquin sequestrabitur res illa, v. g. equus. Baldus in l. ult. C. *Ubi in rem actio*. Felinus c. *Licet ratione delicti*, n. 20. Abbas, ubi supra, n. 44, et alii. Atque hæc procedunt de advena proprie dicto, seu de viatore alibi certam sedem ac domicilium habente, non de vagabundo: nam quod vagabundus possit in quolibet loco conveniri, ubi reperitur, jam supra, § 2, n. 46, et § 4, n. 87, dictum fuit.

102. *Forum domicilii in quibus differat a foro contractus, delicti, et rei?* — Quæritur IV. In quibus differat forum domicilii a foro contractus, delicti, et rei? Resp. Differre in pluribus. I. Quia forum domicilii proprie dicitur verus et naturalis forum. Innocentius in c. *Licet*, l. II, n. 3, et Butrius ibid., n. 16; et Fagnanus n. 9, h. t. Secus est in foro contractus, ac rei sitæ, imo et delicti: quia ratione horum sortitur quis forum solummodo accidentaliter, non naturaliter.

103. *Forum domicilii in quibus differat a foro contractus, delicti, et rei?* — II. Subditus proprie, ac in dubio censetur ille, qui est alteri subjectus ratione domicilii: econtra ille, qui est alteri subjectus ratione contractus, rei sitæ, vel delicti, proprie subditus non dicitur, licet sortiatur forum quoad casum illum. Glossa in Clem. 1, §. *Subditos de Foro competent*. Abbas in c. *Proposuiti*, n. 2, h. t., et Felinus in c. *Licet ratione delicti*, n. 23, eod. asserens, ita tenere omnes, estque jam dictum supra, § 2, n. 26 et 27.

104. *Forum domicilii in quibus differat a foro contractus, delicti, et rei?* — III. Iudex domicilii potest procedere contra subditum, non tantum præsentem, sed etiam absentem, citando eum quoad omnes, effectus, videlicet non tantum quoad effectum astringendi bona ipsius, si comparere contempserit; sed etiam quoad effectum arctativum personæ suæ: prout uberius dictum est supra, § 2, n. 29 et seqq. Secus dicendum de iudice delicti, contractus, ac rei sitæ: talis enim solum potest procedere contra personam delinquentis, vel contrahentis, etc., quando est præsens, aut citatione præventus in loco delicti, aut contractus, vel rei sitæ: si vero sit absens, seu extra ejus territorium, poterit quidem iudex

ille procedere quoad bona ipsius delinquentis, contrahentis etc., eadem astringendo; non vero quoad personam, eam v. g. excommunicando, vel aliter arctando, prout jam dictum superius § 3, n. 56 et seqq. § 3, n. 39 et seqq.

## § V.

DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM IN CURIA ROMANA; UBI ET DE JURE REVOCANDI DOMUM, ET AVOCATIONE CAUSARUM.

105. *Ratio ordinis paragraphorum.* — Est hic recolendum ex dictis supra §. 1, n. 14 et 15, quod quidem quatuor sint ordinarii ac speciales modi sortiendi forum, quibus « forum regulariter quis sortiatur, » ut loquitur textus in cap. ult. h. t.; præter hos tamen dantur plures alii extraordinarii, seu generales; adeo ut Speculator istorum quinquaginta duos enumeret. Explicatis igitur pluribus quatuor, pergendum est ad cæteros extraordinarios, incipiendo a modo sortiendi forum in Curia Romana, utpote cæteris digniore. Unde

106. *In Curia Romana potest quilibet conveniri super ecclesiasticis et spiritualibus causis.* — Quæritur I. Utrum quilibet, præsertim clericus, possit conveniri in Curia Romana? Resp. Quilibet non solum clericus, sed etiam laicus, potest super ecclesiasticis ac spiritualibus causis conveniri coram domino Papa, seu in Curia Romana; ibique conventus non habet jus declinandi forum. Ita communis; estque decisum in cap. ult. h. t. Ubi textus Glossa fin., et Abbas, n. 45 hujus rationem reddunt: tum quia Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum mater est et magistra, tum quia dominus Papa est iudex ordinarius singulorum, can. *Cuncta per mundum*. 9. q. 3. Et totus mundus est sibi territorium quoad causas spirituales; uti patet ex illa auctoritate, per Christum sibi denuntiata, *Matth. XVI, 19: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*. Concordat can. *Duo sunt*, et c. *Si imperator*; 96, et c. *Solitæ de Majorit. et obed.* cum similibus.

107. *Solvitur instantia ex c. concilio Trident. sess. 24. cap. xx. de Reform. Papa est ordinarius singulorum, et ordinarius ordinariorum.* — Neque dispositioni cit. cap. ult. h. t. atque hætenus dictis quidpiam derogavit concilium Trident. sess. 24, cap. xx. *de Reform.*, ubi statuit, quod « Causæ omnes ad forum

eclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, a prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur. » Nam, ut bene respondet Fagnanus in c. *Licet*, il. 2, n. 23, h. t. sub illis verbis concilii: « Coram ordinariis locorum, » non solum comprehenditur ordinarius loci domicilium, sed etiam ordinarius loci delicti, contractus, vel rei litigiosæ, et quicumque alius cujuscumque loci, ubi qui ex juris præscripto forum sortitur: et consequenter etiam sub illa clausula comprehenditur Papa, qui est ordinarius singulorum, ut ait Glossa fin. cit. cap. ult. h. t., sicque ordinarius cæterorum ordinariorum. Proinde nullus omnino, sive clericus, sive laicus, ob allegatum defectum jurisdictionis, aut territorii, potest in causis spiritualibus declinare forum, seu iudicium domini Papæ: quamvis ex beneficio ejusdem quodamque habeat jus revocandi domum, ut habetur cit. cap. ult. § fin. h. t. Occasione ejus

108. *Jus revocandi domum, quid?* — Quæritur II. Quid sit jus revocandi domum, et quando locum habeat? Resp. I. *Jus revocandi domum* est privilegium concessum illi, qui ex causa necessaria, vel quasi necessaria, ad alium locum se transtulit, v. g. Curiam Romanam accessit, ut non possit ibi conveniri super antea gestis; et si ibidem forsan ab aliquo conventus fuerit, possit excipere, dicendo: « Domine, non veni ad hoc paratus, remittatis me domum, et deliberabo. » Ita Abbas in cap. ult. n. 4, et Joan. Andreas ibid. n. 7, h. t.; Fagnanus in c. *Licet*, il. 2, n. 23. eod. Bartolus in l. II. § *Legatis*, ff. de *Judiciis*, et alii.

109. *Differt plurimum a jure declinandi forum.* — Unde *jus revocandi domum*, differt plurimum « a jure declinandi forum. » Nam cui competit exceptio declinatoria fori, sive jus declinandi forum, non recognoscit alterum tamquam iudicem suum: secus est in illo, cui competit jus revocandi domum. « Declinat enim quis forum, » quando non est suppositus jurisdictioni talis iudicis, seu fori; « Revocat vero domum, » quando illi suppositus est, sed ex aliqua causa legitima non tenetur tunc respondere; ut quia non venit præparatus, etc. Abbas cit. n. 4.

110. *Ut jus revocandi domum cuiquam competat, requiritur quod is ex causa necessaria, vel quasi necessaria, alium locum accesserit.* — Resp. II. Ut jus revocandi domum cuiquam competat, plura requiruntur. Et primo qui-

dem, quod ex causa necessaria, vel quas-necessaria, alium locum accesserit: ut si quis Romanam Curiam, vel alium locum accesserit, eo quod illuc evocatus fuerit causa ferendi testimonium, vel reddendæ rationis, aut quando quis ut legatus aliorum destinatur, sicque illuc accedit iudicandi causa: hæ enim censentur causæ necessariae, cum quis necesse habeat parere superiori; item, quando quis illuc accedit causa prosequendæ appellationis: licet enim de necessitate hanc non teneatur prosequi, quia tamen eo non prosequente sententia manet rata, hinc ipse dicitur illuc venire ex causa quasi necessaria; sicque ibidem conventus ab aliquo, habet jus ob litem sibi motam revocandi domum. Patet hoc ex cit. l. II. § *Legatis*, ff. de *Judiciis*, ac notat Glossa fin. in cap. ult. h. t.

111. *Vel saltem ex probabili.* — Addit Abbas in cit. cap. ult. n. 46 et seqq. h. t. post Glossam in d. l. II. § *Legatis*, §. *Ob aliam causam*, et Bartolus ibid. ad obtinendum ejusmodi privilegium revocandi domum etiam sufficere causam probabilem itineris: ut si quis aliorum venerit ex causa religionis, puta ad lucrandas Romæ, vel Assisi indulgentias; vel si pater veniret Romam ad videndum filium in scholis ibi commorantem, arg. l. *Nec non et si quis*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc.

112. *Secus, si illuc accessit ex causa mere voluntaria.* — Quod si quis autem accesserit alium locum, v. g. Curiam Romanam, ex causa mere voluntaria, ut puta, quia illuc venit causa solatii, vel pro suo speciali negotio, quod erat omnino voluntarium, talis non gaudet privilegio revocandi domum. Abbas cit. cap. ult. n. 46 et seqq., et alii. Nam in cit. cap. ult. h. t. sicut et in d. l. II. § *Legatis*, ff. de *Judiciis*, ad obtinendum jus revocandi domum, expresse requiritur, quod quis aliorum venerit « ex justa et necessaria causa, » quales censentur esse superius enumeratæ, et aliæ consimiles.

113. *Ad jus revocandi domum etiam requiritur quod non sit periculum in mora.* — Secundo, ut quis gaudeat privilegio revocandi domum, requiritur, quod non sit periculum in mora. Unde in causis electionum prælatorum, et aliis quæ celeriter sunt expediendæ, aut quæ in tempore essent perituræ, non habet locum jus revocandi domum, arg. l. *Sed et si*, § *Ædium*, ff. de *Judiciis*: ubi etiam legatus ædium nomine tenetur cavere de damno infecto. Abbas in d. cap. ult.

n. 49; et Joan. Andreas ibid. n. 13, h. t.; Innocentius, et alii.

114. *Et competit solum super delictis, vel contractibus alibi gestis: secus, si quis in tali loco deliquit, aut contraxit.* — Tertio, jus revocandi domum ita est intelligendum, quod quis in loco, in quem ex causa legationis, vel testimonii, aut ex alia justa causa se contulit, non possit ibi conveniri super delictis, vel contractibus antea gestis: secus, si tales ibi deliquerint, vel contraxerint; quia tunc non habent jus revocandi domum. Textus est in cit. § *Legatis*, ff. de *Judiciis*, et notat Abbas cit. n. 49.

115. *An, qui domum revocat, teneatur cavere de iudicio sisti, et reverti?* — Addit Joan. Andreas in cap. ult. n. 7. h. t. quod ille, qui domum revocat, teneatur saltem cavere de iudicio sisti, et ad diem sibi assignatum reverti, arg. cit. l. II. § *Sed et si dubitetur*, ff. de *Judic.*, ac proinde jus revocandi domum parum prosit; quia, quod differtur non aufertur. Oppositum tamen tenet Innocentius in d. cap. ult. n. 3, et Abbas ibid. n. 49; ac Pirhing h. t. n. 7. Sufficit enim, quod det cautionem de respondendo domi, seu coram suo ordinario iudice; non autem de revertendo ad locum, ubi prius conveniebatur. Neque plus convincit cit. § *Sed et si dubitetur*, ut notat Glossa, §. *Sisti*, et Bartolus ibid.

116. *Jus revocandi, domum in Curia Romana communiter non observatur.* — Solum adde cum Fagnano loc. cit. n. 23, et additione fin. ad *Abbatem*, in cit. n. 49, licet illi, qui sunt in Curia Romana pro republica, spectato jure communi habeant jus revocandi domum, cap. ult. de *Foro compet.* et cap. fin. de *Dilationib.* Communiter tamen in curia observari, quod tales non habeant jus revocandi domum, sed cogantur ibidem respondere suis adversariis, postquam sunt præsentés in curia. Et ita dixerunt domini de Rota decis. 829. alias ult. tit. de *Foro compet. n antiquis*.

117. *Avocatio causæ, quid?* — Quæritur III. Quid sit avocatio causæ, et qualiter per eam inducatur competentia fori? Resp. I. Avocatio causæ aliud non est, quam litis pendens coram inferiore iudice, ad superiorem, a quo illius jurisdictionis dependet, citra appellationem facta translatio in eo statu, in quo apud inferiorem reperitur. Patet hoc ex c. *Ut nostrum*, 56. de *Appellat.*, ubi talis avocatio causæ per Papam facta legitur. Concordat

textus in l. *Judicium solvitur* ff. de *Judiciis*, ubi inter alia dicitur: « Judicium solvitur vetante eo, qui iudicare jusserat, vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet, » etc.

118. *Differt ab ea, per quam iudex avocet subditum suum coram alio incompetenter litigantem.* — Dicitur notanter, « litis pendens coram inferiore iudice, ad superiorem, » etc. Ut excludatur illa avocatio causæ, per quam unus iudex ab alio pari, vel etiam superiore, avocet subditum suum ibi incompetenter litigantem; prout in c. *Ex transmissa*, 6. h. t. dominus feudi avocavit subditum suum coram iudice ecclesiastico litigantem, sub debito fidelitatis eidem inhibendo, ne coram ipso litiget. Hæc quippe potius est exceptio declinatoria fori per proprium iudicem facta, non autem proprie avocatio: ista enim fit a superiore contra inferiorem, per jura allegata, et notat Gailus l. I. *Practic.* observat. 41, n. 7. ac Engel h. t. n. 4.

119. *Post avocationem causæ processus per inferiorem iudicem factus, ipso jure est nullus.* — Resp. II. Adeo per avocationem causæ inducitur competentia fori iudicis superioris, seu causam ad se revocantis, ut processus postea per iudicem inferiorem factus, ipso jure sit nullus. Patet hoc ex cit. c. *Ut nostrum*, 56. de *Appellat.* Quia per avocationem causæ statim suspenditur jurisdictionis iudicis minoris, ejusque manus ligantur, ac iudicium coram eo ceptum solvitur, cit. l. *Judicium solvitur*, ff. de *Judic.* non minus, ac per appellationem, c. *Dilectis*, 55. de *Appellat.*

120. *Avocatio causæ magis inficit jurisdictionem inferioris iudicis, quam appellatio: et cur?* — Quinimo avocatio causæ per superiorem facta, magis inficit jurisdictionem inferioris iudicis, hancque suspendit, quam appellatio, per textum notabilem in cit. c. *Ut nostrum*, juncta Glossa fin., et Abbate ibid. n. 3. Siquidem appellatio consistit in jure: ac proinde, nisi sit legitima, non suspendit jurisdictionem. c. *Cum appellationibus*, de *Appellat.* in 6. Econtra avocatio consistit in facto: unde, sive fiat ex justa causa, sive non, postquam est facta per superiorem, suspendit jurisdictionem inferioris, ut d. l. *Judicium solvitur*, et notat Abbas cit. n. 3.

121. *Quid, si episcopus avocet causam coram suo vicario generali agitatam?* — Infertur proinde, quod si episcopus, v. g. avocet causam coram suo vicario generali agitatam, eamque ad se revocet; adeo suspendatur

jurisdictio hujus, ut quidquid postmodum vicarius in illa causa egerit, id penitus sit irritum et inane. Nam cum episcopus ex toto possit revocare vicarium pro libitu, ut dictum supra lib. I. tit. XXVIII de Officio vicarii. § 4. n. 108 et 109. multo magis potest ipsi interdiceret cognitionem certæ causæ, hancque ad se revocare. Abbas loc. cit. n. 2. Gailus d. observat. 41, n. 2. citans alios.

## § VI.

DE MODO EXTRAORDINARIO SORTIENDI FORUM  
PER PROROGATIONEM JURISDICTIONIS.

122. *Prorogatio jurisdictionis, quid?* — Quæritur I. Quid sit prorogatio jurisdictionis, et quot modis fiat? Resp. I. Prorogatio jurisdictionis est extensio jurisdictionis judicis de consensu partium facta ultra limites, intra quos cæteroquin est constricta. Ita in re communis; atque desumitur ex l. I et II. ff. de Judiciis. Ubi ex professo deciditur, quod cujusvis judicis, qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, possit jurisdictio prorogari: dummodo partes sciant se tali judici non esse subjectas, et nihilominus in eum consentiant; prout amplius patebit ex dicendis.

123. *Et qualiter fiat?* — Prorogatio jurisdictionis igitur tunc fit, quando quis voluntarie consentit in judicem non suum; sive, quando in se extendit jurisdictionem judicis, cui alias vel omnino non, vel saltem in illa causa non est subjectus. Unde liquet, quod prorogatio jurisdictionis pertineat ad modos extraordinarios sortiendi forum.

124. *Fit quatuor præcipue modis.* — Resp. II. Prorogatio jurisdictionis fit quatuor præcipue modis; videlicet de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, et de loco ad locum. Ita Glossa in cit. l. II. §. *Inhibita*, juncta Glossa marginali, et Bartolus ibid. n. 7. de Judiciis. Maranta part. IV. *Speculi aurei*, dist. 12. n. 2, citans insuper Baldum in l. *Si quis ex consensu*. C. de Episcopali. *audient.*, Pirhing h. t. n. 482, et alii. Quamvis Glossa in c. P. et G. 40. §. *Prorogatio de Offic. delegat.* solummodo tres priores prorogationis modos referat: aliqui vero plures allegent, addendo videlicet prorogationem de casu ad casum, et de causa ad causam; uti videre est apud Abbatem in cit. c. P. et G. n. 12, de *Offic. delegat.* et Antonium de Matthæis tom. III. *Tractatum*, tract.

de Judiciis. § Sequuntur. n. 19. Et quidem

125. *De persona ad personam.* — De persona ad personam fit prorogatio jurisdictionis, quando litigantes, concurrentibus certis conditionibus proxime afferendis, mutuo consensu sese subjiciunt judici cæteroquin in ipsos jurisdictionem non habenti. Exemplum habetur in l. I et II. de Judiciis, et alibi.

126. *De re ad rem.* — De re ad rem fit prorogatio, quando judex certarum causarum constitutus, ex consensu partium aliam quoque causam dijudicandam suscipit, quæ quamdam cum priori habet convenientiam seu similitudinem; puta, quia est ejusdem naturæ, ac formæ. Et notanter hoc additur; quia ad alias causas non valeret prorogatio: sic enim judex maleficiorum non potest cognoscere de causis pecuniariis, l. *Solemus*. 61, ff. de Judiciis; neque vicissim judex causarum civilium potest ex consensu partium cognoscere de criminalibus. Econtra bene potest jurisdictio prorogari de quantitate ad quantitatem: unde, si quis habeat limitatam jurisdictionem cognoscendi, v. g. de summa centum aureorum, et infra, poterit de consensu partium cognoscere ultra hanc summam, l. *De qua re*. 74. ff. eod., et l. *Inter convenientes*. ff. *Ad municipalem*.

127. *De tempore ad tempus.* — De tempore ad tempus dicitur fieri prorogatio jurisdictionis, quando judici pro ferenda sententia certum tempus est assignatum, quod partes de communi consensu extendunt, illudque, antequam fuerit elapsum, ulterius prorogant, l. *Diem proferre*, § 1, ff. de *Receptis arbitris*, et l. II, § 1. *Si et Judex*, ff. de Judiciis. Et notanter additur, «antequam fuerit elapsum;» nam finito illo tempore expirat jurisdictio dicti judicis; sicque ea amplius extendi, seu prorogari non potest, quia quod non est, prorogari non potest. Abbas in c. *De causis*, n. 7, de *Offic. delegat.* et favet textus ibidem illis verbis: «Nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.» Ubi ponderandum ly, «eo transacto,» etc., sicque prorogatio antea est facienda.

128. *De loco ad locum.* — Tandem de loco ad locum fit prorogatio jurisdictionis, quando judex extra suum territorium, aut si est delegatus principis extra locum suæ commissionis, de communi partium consensu jus dicit. Alioquin enim id fieri non potest: «quia extra territorium jus dicenti impune non paretur,» cap. ult. de *Constitut.* in 6.

Sicut et delegatus extra civitatem, vel locum suæ commissionis, neutiquam potest partes citare, neque de causa sibi commissa cognoscere, nisi expressus partium consensus accesserit, c. *Statutum*. 11, § *In nullo*. de *Rescript.* in 6.

129. *Ad prorogationem jurisdictionis, quatuor requiruntur conditiones.* — Quæritur II. Quæ conditiones requirantur ad prorogationem jurisdictionis? Resp. Requiritur plures, ac præsertim sequentes quatuor: quarum duæ requiruntur ex parte judicis, seu illius, cujus jurisdictionis prorogatur: duæ autem ex parte prorogantium. Et quidem

130. *I. Ex parte judicis, ut habeat jurisdictionem aliquam.* — I. Ex parte illius, cui partes litigantes per prorogationem jurisdictionis suæ sponte se subjiciunt, requiritur, ut is habeat jurisdictionem aliquam, l. I, § 1, ff. de Judiciis. Alioquin enim, ubi nulla est jurisdictio, ea prorogari non potest: quod enim non est, hoc ipso prorogari nequit; cum non entis nullæ sint qualitates, c. *Ad dissolvendum*, juncta Glossa §. *Legitime accusari*. de *Desponsat. impub.*, et concordant proxime dicta n. 127.

131. *II. Et quidem ordinariam.* — II. Ex parte judicis, cujus jurisdictio prorogatur de persona ad personam, vel de causa ad causam, requiritur, ut habeat jurisdictionem ordinariam. Siquidem jurisdictio delegata non potest prorogari, per textum notabilem in c. P. et G. 40, de *Offic. delegat.* Ubi proin summarium sic habet: «Delegata jurisdictio ad personas non expressas in rescripto, etiam de ipsarum consensu prorogari non potest;» et amplius declarat Glossa ibid. §. *Prorogatio nulla*. Abbas, n. 4 et 5, et Barbosa, n. 3 et 4, citans alios.

132. *Sufficit tamen jurisdictio delegati ad universitatem causarum.* — Excipitur juxta Glossam in l. I, § *Qui tribunali*, ff. de Judiciis. Jurisdictio delegati ad universitatem causarum: quia hæc jurisdictio censetur quasi ordinaria; ut inquit Glossa c. *Cum causam*. 62, §. *Delegatus*; de *Appellat.* Estque uberius dictum supra lib. I, tit. XXIX, § 3, n. 63. Atque ideo dictam Glossæ sententiam, Pirhing h. t. n. 184, appellat probabilem; licet Abbas, ubi supra, n. 5, de ipsa dubitet, magisque in partem negativam inclinet.

133. *Solvitur instantia contra hoc.* — Nec videtur obstare textus in d. cap. P. et G. indistincte dicens, quod «hujusmodi delegata jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.» Resp. enim, hic esse ponderandum ly

«hujusmodi:» utpote quod restringit textum illum ad casum, ubi quis est delegatus ad causam particularem, qualis in cit. cap. refertur; secus ergo, ubi quis est delegatus ad universitatem causarum.

134. *Potest jurisdictio delegata prorogari quoad accidentalialia.* — Additur notanter n. 131, requiri jurisdictionem ordinariam «ex parte judicis, cujus jurisdictio prorogatur de persona ad personam, vel de causa ad causam.» Nam secus est dicendum de prorogatione jurisdictionis quoad accidentalialia, videlicet de tempore ad tempus, aut de loco ad locum: hanc enim posse fieri de consensu partium etiam respectu jurisdictionis delegatæ patet ex c. *De causis*. 4. de *Offic. delegat.* et c. *Statutum*. § *In nullo*. de *Rescript.* in 6, cum similibus. Atque idem esse dicendum de prorogatione quantitatis minoris ad majorem, clare desumitur ex l. *Inter consentientes*, ff. *Ad municipalem*: ubi judex deputatus, ut possit cognoscere usque ad centum, accedente partium consensu, seu prorogatione, potest cognoscere ultra centum. Abbas in cit. c. P. et G. n. 12 et 13 de *Offic. delegat.*

135. *III. Ut prorogatio fiat ex certa scientia, nec coacte.* — III. Ad prorogationem jurisdictionis ex parte prorogantium requiritur, quod consentiant in judicem non proprium ex certa scientia, et non per errorem, nec coacte; ita videlicet, quod sciant, ipsum cæteroquin non esse judicem suum, ac nihilominus sponte, et non coacte, se illi subjiciant. Patet hoc ex l. II, § 1, ff. de Judiciis, ubi clare habetur utrumque; ac notat Bartolus ibid. n. 20 et seqq. Unde

136. *Unde non valet facta per errorem.* — Inferitur, non procedere prorogationem, quando partes judici non suo sese subjiciunt, arbitantes ipsum jam habere jurisdictionem in se: quia error impedit eam fieri, cum errantis nullus sit consensus, l. *Si per errorem*, ff. de *Jurisdict. omn. judic.* et l. *Non idcirco*. C. de *Juris et facti ignorant.* Maranta cit. part. IV. *Speculi aurei*, dist. 12, n. 21. Abbas, Bartolus, ubi supra, et alii.

137. *Nec facta ex gravi metu. Jurisdictio gravi metu extorta, ipso jure est nulla.* — Insuper jurisdictio ex metu gravi prorogata, est invalida, ac nulla, et quidem ipso jure: haud obstante, quod alioquin gesta per metum, veniant primum irritanda per actionem quod metus causa. Desumitur hoc ex cit. l. II, § 1, ff. de *Judic.* ubi Glossa explicans textum, de jurisdictione per vim com-